

ne, sicut nec maior certitudo requiritur ad hoc, vt aliquis consecretur. Hac enim certitudo est moralis, & sufficiens ad formandum iudicium practicum omnino certum, & consequenter ad licitam receptionem, & administrationem sacramentorum. ¶ Ad tertium respondetur, sufficere, vt providentia Dei non sit diminuta, quod datur certitudo moralis de dispositione ad sacramentum; hac enim habita, non cruciantur perpetua anxietate fideles, sed inter metum, & spem suam salutis ambulant, quod spectat ad suam providentiam Dei.

Ad primam confirmationem respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Et ratio disparitatis tacta est in ea, quia parvulus non potest habere dispositionem vllam supernaturalem, & propterea ex parte illius nulla dispositio requiritur ad validum, & fructuosum sacramentum baptismi recipiendum; alias ex parte ministri non requiritur aliquis actus sibi incognoscibilis, sed tantum intentio: suppositis ergo debita materia, & forma, que, cum naturalia sint, possunt ab eo omnino certo cognosci, poterit certo cognoscere, supposita revelatione generali, quod parvulus est in gratia. Iustificatio autem propria, prout pendet ex propria dispositione, non datur, nisi talis dispositio sit supernaturalis, sive iustificatio fiat extra sacramentum, sive intra; & hæc mihi certa esse non potest, sicut nec intentio ministri, si iustificatio fiat per collationem sacramenti.

Ad secundam respondetur concedendo maiorem; & negando minorem. Nam dupliciter de martyre loqui possumus: vel ante, vel post mortem. Si sermo sit de eo ante mortem, sic non canonizatur ab Ecclesia: ideoque nequit inde colligi Ecclesiam scire certum illum esse in gratia. Si sermo sit de ipso post mortem, tunc sicut Ecclesia scit certo esse in gratia, ita ipse martyr, cum percipiat fructum martyrii.

III Arguitur tertio. Nam potest quis esse certus certitudine infallibili de sua fide: ergo etiam de sua gratia, & charitate. Antecedens est D. Thom. in art. supra relato ad 2. vbi hæc habet: *De ratione scientia est, quod homo certitudinem habeat de his, quorum habet scientiam. Et similiter de ratione fidei est, quod homo sit certus de his, quorum habet fidem. Et hoc ideo, quia certitudo pertinet ad perfectionem intellectus, in quo predicta dona existunt: & ideo quicumque habeat scientiam, & fidem, certus est se habere.* Consequentia vero probatur: nam ideo non possit quis esse certus de sua gratia, & charitate, quia sunt quid supernaturale; sed etiam fides theologica est supernaturalis: ergo si potest habere certitudinem infallibilem de sua fide, etiam de sua gratia, & charitate.

Huius argumento dupliciter respondetur:

primò cum Caietano, Bañez, Arauxo, Greg. Martinez, Gonet, & alijs, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quam in prædictis verbis D. Thom. innuit: nam fides, sicut scientia, est habitus certus, & receptus in intellectu, qui est potentia reflexiva potens reflecti super seipsum, ideoque potest per ipsum actum fidei de eodem certificari exercite. Hoc autem convenire non potest gratia, & charitati: quia certitudo non est propria perfectio illarum, vtpote propria potentia libert catholice valet licite iurare se esse fidelem; quod non possit facere, nisi haberet infallibilem certitudinem de sua fide: sed non potest iurare se esse in gratia.

Respondetur secundò, & non minùs probabiliter cum Suarez lib. 9. de Gratia cap. 12. num. 12. & alijs socijs, necnon cum NN. Salm. loco supra relato, num. 17. negando antecedens, quia nullam recognoscunt disparitatem: cum, sicut iustus non habet speciem propriam gratia, ita fidelis non habeat speciem propriam fidei supernaturalis vt talis. Nec autoritas D. Thom. vrget: Nam tantum loquitur de certitudine quoad obiectum creditum, vt liquet ex illis verbis: *De ratione fidei est, quod homo sit certus de his, quorum habet fidem:* & ad hoc vt sit certus de his, que fides proponit credenda, satis est propositio univèrsalis Ecclesie: quæ sufficiens etiam est ad iurandum se habere fidem: licet non qualitatem illius, quia fides abstrahit à naturali, & supernaturali, & non potest esse certus, quòd assensus procedit ex motivo supernaturali. Gratia autem determinata est forma supernaturalis, & propterea non dat locum ad certitudinem illius sub illa abstractione. Et hoc est discrimen intentum à Div. Thom. inter gratiam, & fidem. Nec in illis verbis, *Et ideo quicumque habeat scientiam, & fidem, certus est se habere,* designat scientiam, aut fidei qualitatem, sed solum evidens experimentum credendi sub dicta abstractione.

III Adversus tertiam assertionem, & primam eius partem videntur sentire Medina, Arauxo, Gonet, & alij negantes tantam certitudinem, quantam nos concessimus. Et arguitur: nam Concil. dicit, quòd quilibet iustus formidare debet de sua iustitia: ergo non potest habere certitudinem moralem excludentem actualem formidinem. ¶ Confirmatur primò. Quia nullus absque temeritate potest iurare se esse in gratia; sed potest quis iurare se esse Sacerdotem: ergo non est tanta certitudo de vno, ac de altero. ¶ Confirmatur secundò. Nam personæ insignis sanctitatis solent formidare de sua iustitia; ergo certitudo eorum moralis non excludit actualem formidinem. ¶ Confirmatur tertio. Nam hæc certitudo est talis, vt plerumque ei subsit falsum,

Ad

Ad argument. respondetur, Concilium solum asserere, quod homo possit formidare: cum quo cohæret, quòd habeat actualem securitatem moralem. ¶ Ad primam confirmationem respondetur, quòd sicut potest quis iurare se credere esse Sacerdotem, secus verò absolute se esse Sacerdotem; ita potest iurare se credere esse in gratia, licet non possit iurare absolute se esse in gratia: quia illa, de quibus tantum habet certitudinem moralem prædictam non potest cum iuramento affirmare. ¶ Ad secundam respondetur, huiusmodi personas plerumque formidare de sua iustitia, Deo sic ordinante propter bonum humilitatis, non quia non possint habere vrgentissima signa, & motiva ad securitatem moralem. Per quod constat ad tertiam.

## DISPUT. III.

## De Gratia actuali.



Explicata iam necessitate gratia specialis ad actus supernaturales, naturaque & perfectione gratia habitualis, superest, vt de gratia actuali tractemus: cui hanc vltimam disputationem dicamus; quamvis si pro merito tractanda foret, esset necessarium integrum volumen. Gratia actualis, que termino incomplexo dicitur *auxilium*, nihil aliud est, quàm id quo per modum transeuntis ad fidem, & pietatem promovetur: ad distinctionem gratia habitualis, que est donum ex natura sua permanens non solum iustificans intrinsece hominem, faciensque Deo acceptum, & amicum, vt late diximus disp. præc. sed etiam dans vires etsi radicales ad operandum permanent in linea supernaturali: & ad distinctionem virtutum, & habituum eam sublequentium, que præstant vires proximas ad operandum etiam permanent in eadem linea. Prædicta gratia actualis multipliciter solet dividi à Doctoribus. Sed famosior inter illos divisio, prætermisiss alijs, est, qua dividitur in sufficientem, & efficacem: sufficiens est illa, que dat posse operari; efficax verò, que cum operatione semper coniungitur. Hanc divisionem satis expressit N. Cyril. tom. 2. de Adoratio. lib. 1. fol. mihi 342. litt. B. his verbis: *Id porò esse argumento evidentissimo potest, nos non verbis tantum, & admonitionibus in animum immisiss (en gratiam sufficientem) incitari, vt à peccatis recedamus, sed etiam ad eam erga nos benignitatem descendere omnium Salvatorem Deum, vt efficacem nos auxilio iuvet, iuxta illud: Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me. Nam,*

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

## DUBIUM I.

An defectò detur gratia actualis verè sufficiens separata ab efficacè

PLura dubia movent NN. Salmant. circa necessitatem gratia sufficientis. Nam tract. proxime relato disp. 5. dub. 2. inquirunt: *Utrum primum auxilium gratia supernaturalis actualis intrinsece consistat formaliter in aliqua operatione supernaturali.* Et ibidem dub. 3. *Utrum primum auxilium intrinsecum gratia actualis sit formaliter ipse Deus vt intimè assiciens intellectui; an verò quadam qualitas fluida ipsi inhærens?* Ibidem dub. 4. *An ad actus supernaturales voluntatis requiratur auxilium actuale ipsi voluntati inhærens; vel sufficiat auxilium impressum intellectui?* Ibidem dub. 5. *Utrum in habentibus virtutes supernaturales requiratur aliud auxilium dans posse ad actus, què prædictis virtutibus correspondent?* Et tandem disp. 6. dub. 3. *Utrum Deus conferat reipè sa omnibus, & singulis adultis auxilia supernaturalia sufficientia ad salutem?* ¶ Sed ad primum satis constat ex dictis tract. 2. disput. 3. num. 35. & præcipue 36. necnon disp. 1. dub. 5. per totum. Ad secundum etiam constat tract. & disp. 3. citata dub. 2. Ad tertium respondetur requiri auxilium voluntati inhærens, & non sufficere auxilium intellectui impressum, à paritate ipsius intellectus. Ad quartum satis liquet ex alibi dictis in hoc opere: vbi sæpè diximus, conceptum vltimæ actualitatis, & existentia non posse produci principaliter ab aliqua causa creata, sed tantum instrumentaliter & in virtute Dei: & propterea habens virtutes supernaturales persè sufficientes ad eliciendas operationes eis correspondentes, sumptis secundum

Nn 2

diam

dum speciem, seu secundum tendentiam specificam ad obiectum, petit à Deo elevari per aliud auxilium sufficiens, & fluidum, ad modum quo instrumenta elevantur à suis causis principalibus, ut possit illas elicere secundum conceptum vitæ actualitatis, & existentia. Quintum, & vitium expofesd discufimus tract. 4. disp. 3. dub. 2. Unde pro auxilio sufficienti tantum nobis restat examinanda difficultas in titulo dubij propofiti expressa.

Circa quam difficultatem duplex versatur sententia. Prima est negativa. Pro qua referuntur Michael Baius in Academia Iovaniensi Doctor & Decanus, Cornelius Janfenius Episc. Iprensis lib. 3. de gratia Salvatoris cap. 13. & Antonius Arnaldus Doctor forbonicus in lib. qui Defensio confit. Innoc. X. dicitur, necnon Calvinus in Antidoto ad Trident. sess. 6. §. Porro, & Petrus Molinaeus Calvinista. Secunda est affirmativa. Quam tenent communiter Theologi, illisque suffragantur NN. Salmant. in præsent. disput. 6. dub. 1. Cum quibus fit.

## §. I.

## Sententia affirmativa propugnatio.

3 **D**icendum est, dari defectò gratiam actualem verè sufficientem ad actus supernaturales separatam ab efficaci. Hæc conclusio definita iam est ab Innoc. X. damnante ex cathedra quinque propositiones prædicti Janfenij, quarum prima erat: *Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus secundum præsentem, quas habent, vires, sunt impossibilia, deestque eis gratia, qua possibilia fiant*: sed pluribus deest gratia efficaci: ergo iuxta determinationem Pontificis datur gratia sufficiens separata ab efficaci; aliàs illa carenti præcepta Dei forent impossibilia. Sed expressius definita est à Pontifice nostro Clemente XI. in Bulla, qua incipit *Unigenitus*, ubi damnatur centum, & vna propositiones, quarum secunda est huiusmodi: *Iesu Christi gratia principium efficace boni cuiuscumque generis necessaria est ad omne opus bonum, absque illa non solum nihil fit, sed neque fieri potest*. Et nona: *Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam eum abnegamus*.

Ex quibus formatur ratio probativa nostræ conclusionis: Nam si gratia actualis sufficiens non daretur multoties separata ab efficaci, sequeretur, quòd homo non peccaret omitendo actum supernaturalem præceptum; sed hoc est falsum, & hæreticum: ergo gratia actualis sufficiens defectò datur separata ab efficaci. Maior probatur: nam imprimis homo non

peccat, dum habet gratiam efficacem, quia non omittit actum præceptum, cum gratia efficaci coniungatur semper cum actu: deinde non peccaret, dum actu omittit, quia non potest illum elicere, cum careat gratia sufficienti, quæ dat posse ad eius elicentiam: ergo sequitur, quòd homo non peccaret, omitendo actum præceptum supernaturalem.

4 Nec refert, si dicas primò, quòd homo potest peccare omitendo actum præceptum, quem non potest elicere, dummodò omisio sit voluntaria & libera: ad quod sufficit, quòd voluntas non sit coacta.

Non, inquam, refert. Tum quia hæc evasio, qua parte docet libertatem à coactione veram esse libertatem, damnata est à Pio V. & Greg. XIII. in Michaelæ Baio, inter cuius propositiones trigesima tertia est huiusmodi: *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè fit*. Et sexagesima sexta: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali*. Et qua parte asserit hominem peccare, etiamsi necessariò omittat, damnata est ab eisdem Pontificibus in eodem Baio, cuius propositio sexagesima septima ita erat: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quòd necessariò facit*. Tum etiam: nam hæc evasio est contra Trident. sess. 6. cap. 11. ubi ait: *Nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini iustificato ad observandum esse impossibilia: nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet & facere, quòd possit, & petere quòd non possit, & adiuvat, ut possit*. Unde D. August. serm. 3. in festo Trinit. fit ait: *Execrantur eorum blasphemiam, qui dicunt, impossibile aliquid homini esse præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in communi posse servari*. Tum denique ratione: nam actus, seu omisio, quæ non est dirigibilis per legem, nequit esse peccaminosa; sed omisio necessaria ex defectu potentia ad oppositum actum non est dirigibilis per legem, quia frustrà adhibetur lex homini ad id, ad quòd est per determinatus; cum enim lex detur ad imponendum modum & determinationem, ad vnum, frustrà illam imponeret, si supponat agens per se determinatum ad vnum: ergo omisio actus, quem homo non potest elicere, non potest esse peccaminosa. Qua ratione vti fuimus tract. 10. disp. 1. dub. 1. ad probandum requiri libertatem indifferentia, ut actus sit moralis, hoc est bonus, aut malus.

5 Nec refert, si dicas secundò, quòd impotentia omnino antecedens tunc excusat, quando non ignoratur, secus verò si ignoretur: Quia tunc homo non omittit præcisè, quia non potest elicere actum præceptum, sed quia non vult, eodem modo se habendo, ac si reipsa illam haberet: sicut qui ignorans, verum habet, vel

non

non habet brevium, & determinatus est ad non recitandum, non excusatur à peccato, estò non habeat brevium, & reipsa non possit recitare: quia videlicet non omittit, quia non potest, sed quia non vult. Unde impotentia se haberet tunc inquam concomitantem.

Non, inquam, refert. Tum ad hominem: nam in adversario sententia non datur gratia sufficiens sine efficaci; sed unusquisque certò se, se non habere gratiam efficacem ad actum præceptum, dum illum omittit: ergo etiam se certò in eorum sententia, quòd non habet gratiam sufficientem, dum omittit. Tum etiam: Nam licet contingere valeat, quòd quis habens impotentiam omnino antecedentem ad implendum actum præceptum maneat ligatus præcepto per accidens propter ignorantiam talis impotentia, quæ est causa fingendi præceptum, ubi non est; per se tamen loquendo non adest locus præcepto, ubi talis impotentia est, ut docet Trid. sed præcepta ad actus supernaturales omnibus imposita sunt, & homo multoties peccat per se contra illa, & non tantum per accidens ex vi ignorantia impotentia antecedentis: ergo est, quia habet auxilium sufficiens sine efficaci.

6 Nec refert, si tertio occurras, omnem hominem peccare omitendo actum præceptum, estò careat, tempore quo obligat præceptum, auxilio sufficienti, seu potentia omnino antecedenti necessaria ad ponendum actum præceptum: quia impotentia tunc est absolute consequens, & voluntaria in causa saltem in peccato originali, ut colligitur ex D. Thom. 2. 2. quest. 2. art. 5. ad 1. ubi ait: *Auxilium quibuscumque datur, misericorditer datur: quibus autem non datur, ex iustitia non datur in penam præcedentis peccati, saltem originalis, ut dicit August. lib. de Correct. & gratia, nempè cap. 11.*

Non, inquam, refert. Primò: quia ad peccatum personale requiritur potentia absoluta personalis, ut expressè docet D. Thom. in 2. dist. 20. quest. 1. art. 2. in corp. ergo impotentia, quæ alicui non est voluntaria in causa per voluntatem propriam, non est absolute consequens, sed omnino antecedens; sed si Deus denegaret auxilium sufficiens in penam peccati originalis, impotentia inde resultans non esset per voluntatem propriam personalem: ergo esset impotentia omnino antecedens. Secundò. Nam, ut aliquid sit voluntarium in causa, debet prævideri, dum ponitur causa: de ratione enim voluntarij est, quòd sit ab intrinseco cum cognitione; sed plura sunt defectò præcepta, quæ Adamus nec prævidit, nec prudentialiter prævidere potuit, qualia sunt præcepta de dispositionibus requisitis ad fructuosam sacramentorum receptionem: ergo pro eorum impletione, vel concedenda sunt in omnibus

auxilia sufficientia, & in pluribus sine efficaci vel impotentia ex eorum negatione orta, crit omnino antecedens. Tertio. Nam ex prædicta evasio sequitur, quòd motus primò primi, infidelitas negativa, & ignorantia invincibilis sint peccata personalia, quia sunt voluntaria in causa, nempè in peccato originali; hoc nullus catholicus dicit: ergo impotentia orta ex peccato originali non est consequens, sed absoluta & antecedens. Adde primò. Nam dato, quòd hæc evasio locum haberet in ijs, quibus peccatum originale non est dimissum, secus verò in ijs quibus iam dimissum est: propter dicta tract. 5. disp. 3. à num. 87. Adde secundò. Nam hæc evasio iam proscripta manet ab Innoc. X. in propositione damnata Janfenij, & supra num. 3. relata, iuxta cuius damnationem omnino tenendum est, quòd homo iustus habet vires sufficientes ad implenda præcepta, & propter eas non sunt ei impossibilia. Nec ex D. Thom. & consequenter ex D. August. aliquid contra dicta convincitur: Quia tantum volunt, quòd peccatum originale non remissum potest esse causa negandi auxilium sufficiens: Et tunc negatio prædicti auxilij tantum haberet rationem pænæ debitæ peccato originali. Non tamen alicubi docent, quòd homo carens omni auxilio sufficienti peccet in omisio, ne actus præcepti supernaturalis, sed potius oppositum. Nam D. Thom. loco citato Sent. expressè asserit, requiri ad peccatum personale potestatem personalem, & ubi hæc deest, non potest dari peccatum personale. Et 2. 2. quest. 10. art. 1. in corp. & ad 1. asserit, quòd in illis, qui nihil audierunt de fide, infidelitas non habet rationem peccati, sed magis pænæ: quia talis ignorantia divinatorum ex peccato primi parentis consecuta est. Idemque tradit Div. August. tract. 19. in Ioann. & epist. 105.

7 Nec refert, si tandem respondeas, hominem non excusari, quia, etsi non habeat auxilium sufficiens, potest illud petere.

Non, inquam, refert. Nam ad cognoscenda auxilia supernaturalia oblata, & ad ipsa iam cognita poscenda requiritur auxilium sufficiens supernaturale: quia obiectum supernaturale viribus solius naturæ nequit cognosci, nec oratio supernaturalis potest sine viribus supernaturalibus elici: si ergo potest illa petere, habet utique aliquod sufficiens auxilium; sed potest non petere, quia, supposito auxilio sufficienti ad poscendum, homo est liber ad petendum, & non petendum: ergo potest dari auxilium sufficiens ad petendum sine efficaci: vel redeunt omnes impugnationes supra adductæ.

8 Secundò probatur ratione: Nam in statu naturæ lapsæ datur gratia actualis, cui homo defectò multoties resistit; sed non est efficaci: ergo

ergo est sufficiens separata ab efficaci. Consequenter est legitima. Minor traditur à Iansenio, & eius affectus in illa propositione secunda eiusdem Iansenij, *Interiori gratiæ in statu nature lapsæ nunquam resistitur*, exultantibus omnem gratiam sufficientem esse efficacem, cui nunquam resistitur. Maior verò probatur primò ex Scriptura: nam Stephanus Act. 7. increpat iudæos his verbis: *Vos semper Spiritui-sancto resistitis*. Unde vel Spiritus-sanctus inspirabat iudæis desideria bona, ut possent converti, vel non? Si dicatur secundum: ergo non resistebant Spiritui-sancto, ac proinde inceptè Stephanus conquereretur de sua non conversione, cum non haberet gratiam, qua possent converti. Si dicatur primum: ergo in sua non conversione interiori gratiæ Spiritus-sancti resistebant. ¶ Nec procedit Iansenio recurrit ad gratiam externam, quam esse sufficientem, & resistibilem fatetur. Tum, quia hæc expositio est propria Calvinij, ut refert Staplet. *Tum etiam*: Nam opus Spiritus-sancti proprium est internum tangens cor: ergo si nihil operatur in corde, ei non resistitur, *Tum denique*: Nam resistentia ista, quam Stephanus in iudæis increpat, ex cordis duritie oriebatur: Dicebat enim, *Dura cervicis, & incircumcisus cordibus, & auribus*: sed non resistit ex corde oriri, nisi ipsum cor intrinsecè moveretur, & tangeretur: ergo resistebant gratiæ interiori, & non tantum externæ. ¶ Adde: nam prædicta verba exponit D. Thom. 1. ad Theol. 5. lect. 5. his verbis: *Aliquis dicitur extinguere spiritum in se: cum aliquis bonus motus in ipso insurgit, & ipse impedit*. Act. 7. *Vos semper Spiritui-sancto resistitis*. Et quodlib. 2. art. 6. *Tenebantur etiam interiori vocationi non resistere: sicut de quibusdam dicitur Act. 7. Vos Spiritui-sancto resistitis*.

Secundò probatur eadem maior ex Trid. sess. 6. cap. 5. ubi docet, exordium iustificationis in adultis sumi à vocatione Dei per eius gratiam adiuvantem, & excitantem, ad quam iustificationem debent disponi, eidem gratiæ assentiendo libèrè, & cooperando: *Ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus-sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem ipsam recipiens: quippe qui illam & abicere potest*. Et can. 4. definit: *Siquis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum: neque posse dissentire, si velit: anathema sit*; ergo iuxta Trident. datur gratia actualis interna, cui homo possit resistere, & defectò multoties resistit.

Probatur tertio eadem maior ex summorum Pontificum decretis. Nam ex quinque propositionibus Iansenij damnatis ab Innoc. X. & Alexandrò VII. secunda est huiusmodi: *Interiori gratiæ in statu nature lapsæ nunquam resistitur*. Similiter hæc est illa (in ordine decima tertia)

quæ cum alijs centum novissimè proscripta est à Clemente XI. in sua celebri bulla *Unigenitus*, & ita se habet: *Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ sua manu, nulla voluntas humana ei resistit*. ¶ Nec proderit dicere cum aliquibus Magistris lovanienibus (prædictam propositionem Iansenij post tantas damnationes ex cathedra adhuc sustinentibus) quòd natura corrupta dicitur resistere, quatenus motus concupiscentiæ, vel terrena delectatio gratiæ internæ resistit, quamvis ipsa gratia interior semper victrix evadat: sicut gratiæ sua gravitate resistit motui fursum, licet impulsus nunquam motu frustretur. ¶ Non, inquam, proderit: tum quia hæc evasio novissimè damnatur in iam laudata bulla *Unigenitus*, ubi propositio decima sexta hæc est: *Nulla sunt illecebriæ carnis, quæ non cedant illecebri gratiæ, quia nihil resistit omnipotenti*. Tum etiam: nam prædictæ propositiones damnantur à summis Pontificibus in eodem sensu à Iansenio intentos: sed sensus Iansenij semper fuit, quòd gratia interior nunquam frustratur, sed semper est victrix, & infert suum effectum v. g. consensum, & conversionem: ergo damnatio Pontificum non potest intelligi de resistentia excogitata à prædictis Magistris lovanienibus. *Tum denique*: Nam in prædicta bulla *Unigenitus* continentur aliæ per multas propositiones damnata, ex eo, quòd in eis doceatur gratiam Iesu Christi inferre suum effectum indubitabilem: ergo propositio hæc, *interiori gratiæ in statu nature lapsæ aliquando resistitur, ita ut non sequatur effectus, nec ipsa gratiæ victrix evadat*, est verissima.

Probatur quartò eadem maior ex D. Aug. & D. Thoma. Nam August. lib. 83. Quæstionum, quæst. 68. sic ait: *Ad illam enim vocatam, quam Dominus dicit in evangelio præparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt; neque illi, qui venerant, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, qui vocati venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam, ut venirent, vocati sunt in libera voluntate*. In quibus verbis representatur imprimis resistentia vocationis. Deinde, quòd vocatio erat sufficiens, quia tam venientibus, quam non venientibus potentiam veniendi præstabat. Tandem, quòd erat interna: tum propter rationem proximè datam, quia vocatio præcisè externa non dat potestatem faciendi, quod debemus, sed tantum offendit, quid facere debeamus. Tum etiam: nam ante verba præfata expressè loquitur de vocatione interna his verbis: *Nec velle quisquam potest nisi admonitus, & vocatus, sive intrinsecus &c.* Et D. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 1. quæsiunc. 2. sic ait: *Vocatio est duplex: Quædam verò interior: & hæc*

quan-

quandoque quidem non pertingit ad finem suum ex defectu vocati. Et hæc vocatio nihil aliud est, quam instinctus, vel motus ad bonum à Deo immixtus. Quo quid clarius? Et 2. 2. quæst. 10. art. 1. ad 1. inquit: *Habere fidem non est in natura humana, sed in natura humana est, ut mens hominis non repugnet interiori instinctui, & exteriori veritatis prædicationi*. Ergo secundum utrumque S. Doctorem homo in statu nature lapsæ resistit gratiæ interiori.

Probatur quintò eadem maior ab evidenti experientia, de qua S. Laurent. Iustin. sic ait: *Quamvis ad insinuandum hominem Deo posse resistere multis divinatorum eloquiorum valeat auctoritatibus comprobari; id tamen unusquisque sufficienter experitur in se. Quis, oro, tanta sanctitate est præditus, ut seipsim aspiratiōem non resistatur interna, aut tempore victus, aut propria affectiōe seductus? O quantis clamoribus introrsus, quantisque exhortationibus sacris excitatur peccator, antequam de morte, seu somno dilectorum evigilet! Hanc experientiam habuisse August. eleganter expressit in libris Confess. dum seipsum resistentem divinis inspirationibus describit: ergo.*

Probatur vltimò ratione eadem maior: Nam si non datur gratia merè sufficiens, cui homo in statu nature lapsæ resistit, nullus posset verè dicere, quòd non fecit tantum boni, quantum potuit, nec vllus iustus se reprahenderet, ex eo quòd gratiæ Dei non sit cooperatus, quantum potuit, & debeat; sed hoc est falsum: ergo homo in statu nature lapsæ multoties gratiæ resistit. Minor est certa: quia nullus est sanctus, qui frequenter non se accuset de negligentia in cooperando gratiæ Dei, & obediendo eius inspirationibus, & hoc moment plures Patres spirituales, vt Ioannes Thaulerus, S. Franciscus Saleius exemplo S. Francisci Afsisij, spirituales vitæ insignis Magistra N. M. S. Theresia, & V. Ludovicus Granat. Maior non minus liquet: nam si nulla gratia est nisi efficax, nulla erit gratia, cui vllò modo resistatur, & sic unusquisque totum id ager, ad quòd per divinam gratiam movetur.

## §. II.

### Argumenta Ianseniana.

9 Arguitur primò: Gratia, quæ dat posse ad agendum, est sufficiens; sed gratia efficax dat posse ad agendum: ergo nullum defectò datur auxilium sufficiens sine efficaci. Minor probatur: tum ex illo Ioann. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater: traxerit eum*: ergo illud auxilium dat posse, per quòd quis trahitur ad Christum; sed hoc est efficax: ergo gratia efficax dat posse ad agen-

dum. Tum etiam ex Div. Aug. in lib. de gestis Pelagij, ubi ait: *Sine gratia Deo nemo rectè vivit, sine gratia Dei id, ad quòd adiuvant, fieri non potest*; sed gratia, qua rectè vivitur, est efficax, & sine illa non potest fieri id, ad quòd adiuvat, vt inquit August. ergo gratia efficax dat posse ad agendum. Tum denique ex D. Thom. in hac 1. 2. quæst. 109. per totam, ubi sapissimè docet, hominem non posse ad Deum converti nisi à Deo convertere; sed converte hominem per gratiam efficacem: ergo ab hac provenit posse ad conversionem.

Respondetur negando minor. Quam non convincent tria illa testimonia in tribus probationibus adducta: nam intelligenda sunt de potestate consequente, seu secundum quid, & in hoc sensu verissima sunt: quia potestate consequenti, seu in ipso composito nemo potest ad Christum venire, seu trahi sine gratia efficaci. Sed estò non convertatur actu, aut trahatur, adhuc habet potentiam antecedentem, quæ est talis simpliciter, & proveniens ab auxilio merè sufficienti. Hæc expositio est iuxta D. Thom. loco citato præcipue art. 1. ubi docet, nullam causam creatam posse operari, nisi moveatur à Deo; & tamen habent plures causas naturales potentiam sufficientem ad suas operationes, antequam moveantur ab ipso. Pariformiter ergo debet discursi in linea supernaturali.

10 Arguitur secundò: Quia nulla est gratia actualis, quæ non coniungatur cum sua operatione: ergo nulla est gratia verè sufficiens defectò separata ab efficaci. Antecedens probatur ex D. August. tum serm. 43. ubi ait: *Agis, si ageris; & bene agis, si à bono agaris*. Ubi Magnus Patens connexionem infallibilem constituit inter gratiam internam, & eius operationem. Tum etiam in lib. de Prædest. SS. cap. 8. ubi inquit: *Qui credunt, prædicatore forinsecus insonante, intus à Patre audiunt, atque discunt: qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque discunt*. Ubi, vt vides, ex negatione effectus colligit eis, qui non credunt, nullam gratiam actualem concedi. Idem tradit lib. de gratia Christi cap. 13. his verbis: *Qui novit, quid sit quòd fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem*. Ergo secundum Magn. Parentem August. omnis gratia interior infert infallibiliter suam operationem.

Ad hoc argument. respondetur negando antecedens. Et ad eius probationes ex testimonijs D. August. depromptas: dicimus, S. Doctorem in illis, & in omnibus alijs, in quibus docet gratiam actualem coniungi infallibiliter cum sua operatione, & ex negatione operationis colligi negationem illius, loqui: præcisè de gratia efficaci. Nam nihil frequentius est in Augustino, quam distinguere duplicem vocationem: aliam congruam, & alteram non congruam:

per

per primam inquit lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. quod vocatus est Jacob, quia erat efficax: per secundam vocatus est Esau, quia erat merè sufficiens. Similiter lib. 1. de prædest. SS. cap. 16. dividit vocationem in illam, quæ est secundum propositum, & hac vocati sunt, qui venerunt ad nuptias; & illam, quæ non est secundum propositum, & hac vocati sunt, qui non venerunt ad nuptias: ex quibus primam appellat *altam*, & *secretam*, non verò secundam. Item in eodem lib. cap. 6. de prima dicit esse vocationem, quæ voluntas preparatur à Domino, non verò secunda: & propterea prima est efficax, & secunda tantum sufficiens. Evidens ergo est, quod in sententia Augustini datur gratia interna merè sufficiens, quæ non infert infallibiliter suum effectum, & quod in testimonijs pro argumento allatis loquitur de gratia efficaci, prout distincta à sufficienti.

11 Arguitur tertio: Gratia sufficiens est illa, sine qua homo non potest operari; sed gratia efficax est huiusmodi: ergo non datur gratia sufficiens sine efficaci. Minor probatur: nam gratia efficax est essentialiter requisita ad operandum; sed gratia, quæ est essentialiter, requisita ad operandum, est sine qua homo non potest operari: nam gratia, quæ dat posse ad operandum, importat omnia essentialia requisita ad operandum: ergo gratia efficax est illa, sine qua homo non potest operari. Urgetur: Gratia efficax est necessaria ad operationem: ergo dat posse ad illam, quod est proprium gratiæ sufficientis. Consequentia probatur: nam necessarium est id, sine quo finis haberi non potest; sed id, sine quo finis haberi non potest, dat posse ad eius consecutionem: ergo si gratia efficax est necessaria ad operationem, dat verum posse ad illam.

Hoc argument. potest imprimis retorqueri contra lausentium, concedentem quod Adamus habuit gratiam sufficientem ad perseverandum, & caruit gratia efficaci, sine qua non potuit perseverare, vt infra probabimus. Deinde respondetur distinguendo maiorem: sine qua non potest operari potentia antecedenti, concedo maiorem; potentia consequenti, nego maiorem. Et distinguitur minor: sed gratia efficax est huiusmodi, id est, est illa, sine qua homo non potest operari potentia antecedenti, nego minorem; potentia consequenti, concedo minorem. Et neganda est consequentia. Ad cuius probationem dicimus, quod requisita ad operandum sunt in duplici differentia: nam alia pertinent ad constituendum actum primum, & sine his homo non potest operari non solum potentia consequenti, verum nec potentia antecedenti: & ita se habet auxilium sufficiens distinctum ab efficaci. Alia pertinent ad movendum ad operandum actum primum iam constitutum, & huiusmodi requisita potius pertinent

ad actum secundum, quam ad primum: & huius generis est auxilium efficax. Per quod constat ad virginiam. Sed de hoc amplius redibit sermo dub. sequenti.

12 Arguitur quartò. Ideo posset dari auxilium sufficiens sine efficaci, quia homo carens auxilio efficaci tenetur observare præcepta supernaturalia, ad quæ non teneretur, si etiam careret auxilio sufficienti; sed multoties homo tenetur ad præcepta carens auxilio sufficienti: ergo ex hac parte non probatur dari gratiam sufficientem sine efficaci. Minor probatur primo, nam gratia habitualis est in nostra sententia privative sufficiens ad eliciendum actum charitatis, & contritionis; si homo carens gratia habituali tenetur multoties ad eliciendum formalem actum charitatis, vt nunc supponimus: ergo tenetur ad præcepta carens auxilio sufficienti. Secundo. Iudæi tenebantur legem observare; & tamen non habebant gratiam sufficientem ad eius observantiam, vt docet August. lib. de Spiritu, & lit. cap. 19. his verbis: *Lex data est, vt gratia quaeretur: gratia data est, vt lex impleatur.* Ubi distinguere inter iudeos, & christianos videtur docere, quod christiani habebant gratiam, qua possent legem adimplere, fecus verò iudæi. Et ad hoc ipsum alludit, quod serm. 6. de verbis Apost. cap. 7. ait: *Lex iubeat, & non implebat, quia caro, vbi non eret gratia, invictissimè resistebat.* Id ipsum docet Div. Thom. 1. 2. quæst. 98. art. 6. vbi distinguens inter ipsos iudeos bonos à malis, dicit, quod bonis collata est lex in auxilium; & malis ad superbiam convincendam. Et quæst. 106. art. 2. ad 2. inquit, quod lex nova iram Dei non operatur, quia affert auxilium sufficiens ad non peccandum; e contra lex vetus iram Dei operatur, vt inquit Apost. ad Rom. 4. in signum, quod non afferebat auxilium sufficiens ad non peccandum: ergo iudæi tenebantur ad præcepta, quorum saltem nonnullis non fuit collata gratia intrinseca sufficientis.

Tertio. Nam obdurati, & excecati tenentur ad præcepta supernaturalia; sed hi nullam habent gratiam interiorem, vt docet loquens de illis D. August. lib. de Perfect. iustitia cap. 19. his verbis: *Eos destituere omni lumine veritatis, & divino adiutorio:* ergo idem quod prius.

Et confirmatur. Si homo haberet auxilia sufficientia ad præcepta divina adimplenda, non indigeret oratione pro illis; sed hoc est falsum: ergo non habet auxilia sufficientia ad præcepta adimplenda. Minor probatur ex Magno Parente August. in lib. de Grat. & libero arb. cap. 16. vbi ait, quod *Deus iubet aliqua, quæ non possumus, vt noverimus, quid ab illo petere debeamus:* ergo homo indiget oratione pro auxilijs sufficientibus.

Ad

Ad argument. respondetur negando minorem. Et ad eius primam probationem concedimus, quod gratia habitualis est vnicum auxilium sufficiens ad eliciendum actum charitatis, seu contritionis. Sed non propterea carens illa est absolute impotens ad implendum præceptum actus formalis charitatis, & contritionis: nam omnibus pervenientibus ad usum rationis Deus confert, & non solum offert aliqua auxilia sufficientia, etsi remota, ad suam conversionem, quibus si bene utantur, disponuntur ad perfectiora auxilia recipienda, & tandem ad recipiendam gratiam habitualem, quæ dat posse proximum ad elicientiam illorum actuum, & ad impletionem præceptorum de illis, & quam Deus infallibiliter confert, iuxta illud, *Faciendi quod est in se (ex viribus gratiæ) Deus non denegat gratiam.* Unde homo carens gratia habituali ita se habet, ac si illam defectò haberet.

Ad secundam probationem respondetur, mentem D. August. & D. Thom. in testimonijs in ea adductis, non esse, quod tempore legis mosaicæ nulla erant auxilia sufficientia ad salutem, sed tantum velle, quod prædicta auxilia non conferebantur pro legem, seu ex vi legis; ad differentiam legis evangelicæ, quæ ex se habet gratiam internam, cum sit lex indita, & scripta in tabulis cordis. Unde D. Thom. 1. 2. quæst. 98. art. 1. ad 4. inquit: *Quantvis lex vetus non sufficeret ad salvandum homines, tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus simul cum lege, per quod salvari poterant: Et sic Deus non desinebat hominibus, quin daret eis salutis auxilia.*

Ad tertiam respondetur negando minorem. Nec ei faver D. August. nam in eo loco, & alijs similibus loquitur de omni adiutorio efficaci, quod Deus denegat obstinatè specialiter, quia ob maiora eorum peccata, reddunt se magis indignos, & propter actualem eorum resistantiam claudunt portas misericordiarum divinarum, vt plura alia auxilia eis conferat. Videantur, quæ diximus tract. 4. disp. 3. num. 37.

Ad confirmationem respondetur primo, dato (non concesso) quod homo non habeat auxilia sufficientia ad præcepta divina implenda, nihil sequi contra nostram conclusionem, quæ indefinite procedit, asserens, dari defectò aliquod auxilium sufficiens separatim ab efficaci: & hoc satis convincitur ex necessitate orationis. Nam propterea docet D. August. Deum iubere aliqua, quæ non possumus, quia possumus orare, & illa petere, itaut, si illa petamus cum debitis circumstantijs, infallibiliter illa impetrabimus, vt tradit D. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 16. Et si defectò non habet homo aliquod auxilium ad orandum, sicut oportet ad salutem, eo ipso deobligatus manet ad observanda præcepta. Unde convincitur, quod iam habet ali-

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

quod auxilium internum sufficiens; & cum possit non orare, & defectò destitit ab oratione cum debitis circumstantijs, plane inferitur dari defectò aliquod auxilium sufficiens separatim ab efficaci.

Respondetur secundo negando maiorem. Nam multoties homo non habet auxilia sufficientia proximè conducentia ad observanda præcepta, esse habet remota. Ut his autem cooperetur, indiget auxilio efficaci: quod omnibus gratis datur, & pro quo indiget orare, consequenterque pro auxilijs sufficientibus proximè conducentibus ad præcepta servanda. Et sic potest exponi D. August. dum ait, quod *Deus iubet aliqua, quæ non possumus.* Quæ verba etiam possunt exponi (& erit tertia solutio) de potentia naturali: & sensus est, quod iubet aliqua, quæ non possumus viribus solius naturæ. Quod verissimum est, sed per hoc non negatur potentia per vires gratiæ. Vel tandem loquitur de potentia consequenti, quam constituit auxilium efficax.

## DUBIUM II.

In quo consistat auxilium, seu gratia efficiax

Ista quæstio, vbi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, vt quando definitur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. Sunt verba Magni Parentis August. lib. de Gratia Christi contra Pelagium, & Cælestium cap. 47. Monet tamen epist. 46. ad Valentinum: *Neque negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium sic defendatis, vt à gratia Dei (efficaci) separatis.* Sed hoc opus, hic labor est: quia nihil difficilius in sacra Theologia, quam componere usum expeditum libertatis creatæ cum auxilio ex se & ab intrinseco efficaci; & iura, seu prælationes causæ primæ phisicæ influentis in exercitio, cum scientia mediæ, eiusque obiecto. Et quamvis in materia hac adeo ex se difficili defudarint tot ingeniorum culmina ex vtriusque scholæ, scilicet nempè, & Thomisticæ, professoribus; puto tamen, materiam hanc manere in solutam, & tantum in futura beatitudine revelandam; vt nonnulli existimant de constituti-vo libertatis divinæ. Et propterea nos merito desperamus aliquid addere vitra id, quod nostri Thomistæ discusserunt, maxime NN. Salm. tam in tract. 3. & 4. quam in hoc tract. Satis nobis erit, si ab illorum sententia non discedamus.

13 Igitur in hac famosissima quæstione, dux sunt capitales sententiæ. Prima docet, auxilium efficax consistere in entitate ex se & ex natura

Oe

nature

natura sua indifferenter ad consensum, & dissen-  
sum, ad efficaciam, & inefficaciam, reddique  
efficax ex determinatione voluntatis creatæ. Ita  
omnes recentiores Societatis possunt suum Molinam,  
¶ Secunda totis viribus defendit, consistere in  
entitate ex se & ex natura sua connexa cum  
operatione, & infallibiliter determinata ad il-  
lam. Ita omnes Thomistæ, & communiter Scoti-  
stæ. Sed his non obstantibus nonnulla dissen-  
sio est inter patronos utriusque capitalis senten-  
tiæ. Nam quamvis omnes Recentiores Societatis  
doceant, quod efficacia gratiæ dependet à  
scientia mediæ; dividuntur tamen aliquantulum  
in explicanda radice, unde oriatur, & fortè to-  
ta divisio est de voce. Nam quidam dicunt, ef-  
ficaciam desumi ab effectu. Alij aiunt desumi  
ex congruitate ad circumstantias naturales. Alij  
denique ex presentia mediæ, itaut gratia ex  
se indifferens ad congruitatem seu efficaciam, &  
ad incongruitatem seu inefficaciam constituitur  
efficax in actu primo per consensum salutarem  
vt prævisum, & in actu secundo per eundem  
consensum vt existentem absolute in tempore.  
Inter negantes scientiam mediæ & efficaciam  
auxilij dependentem ab ea est etiam dissidium.  
Nam Scotus docet, constitui non per aliquid  
creatum, sed per divinum decretum ex se & ab  
intrinsicco efficaciam, quo Deus per quandam sym-  
pathiam, & imperium morale (quam *moralem  
præmotionem* vocant Scotistæ) movet causas  
creatas ad agendum, & earum operationes  
præviæ, & effectivæ attingit. Hunc modum  
novissimè suscitavit Mag. Palanco de Provid.  
quæst. 14. per tot. præsertim num. 89. Alij  
consent, quod consistit in motione præcisè  
morali, vt in sancta cogitatione &c. Alij di-  
cunt consilium per ipsam operationem creaturæ,  
quatenus, prout descendit à Deo, præcedit se-  
ipsam, prout terminat influxum creaturæ, se-  
ipsam producit, & ad seipsam movet, vt ter-  
minat influxum creaturæ. Alij tandem aiunt,  
consistere in qualitate physica distincta realiter  
ab operatione, illamque physicè prædetermi-  
nante. Ita NN. Salm. in præf. disp. 7. dub. 5.  
& 6. & frequenter Thomistæ.

## §. I.

## Prima, &amp; principalis conclusio Thomistica.

14 **D**icendum est primò, auxilium ef-  
ficax vt efficaciam non consistere in  
entitate ex se, & ex natura sua indifferenter ad  
consensum, & dissensum, ad efficaciam, & in  
efficaciam, quod reddatur efficaciam ex determi-  
natione voluntatis creatæ: sed consistere in en-  
titate ex se, & ab intrinsicco efficaci prædetermi-  
nante consensum salutarem. Hæc conclusio  
hoc modo proposita, in quo præscinditur ab  
eo, in quo consistat talis prædeterminatio, &

solum accipitur pro efficacia infallibili, & à  
priori inferente nostram determinationem &  
consensum, est omnium Thomistarum contra  
omnem scholam Societatis. Et potest suaderi  
pluribus testimonijs sacre Scripturæ, Conci-  
liorum, & SS. PP. præsertim D. Augusti, & D.  
Thom. ad quorum doctrinam tanquam ad ly-  
dium lapidem examen utriusque opinionis rela-  
tum est. Sed ea, vt vitemus prolixitatem, ra-  
tionibus statim subiiciendis inferemus. In ratio-  
nibus autem proponendis cum maiori brevitate,  
qua possimus, procedemus, vel supprimentes  
plures quas dedimus tract. 3. disp. 5. per tot.  
& tract. 4. disp. 3. dub. 4. ne acta in hoc Ope-  
re iterum agamus, vel breviter insinuamus. Nec  
opinionem oppositam separatim impugnavimus,  
vt mos apud aliquos est, quia inter evasiones  
nostrarum rationum satis exprimitur, & im-  
pugnabitur.

Probatur ergo primò ratione nostra con-  
clusio: Nam voluntas creatæ, suppositis omni-  
bus requisitis ex parte actus primi, indiget mo-  
tione physica primi agentis, vt actu operetur;  
sed hæc motio nequit non esse ex natura sua &  
ab intrinsicco efficaci: ergo voluntas creatæ, vt  
actu operetur, indiget, adhuc suppositis om-  
nibus requisitis ex parte actus primi, motione  
Dei ex se, entitativè, & ab intrinsicco efficaci:  
Iterum; sed hæc motio respectu actus salutaris  
est auxilium, seu gratia efficaciam: ergo gratia  
efficaciam vt efficaciam non consistit in entitate ex  
se, & entitativè indifferenter, sed in entitate ex  
se, & ab intrinsicco efficaci. Cætera constant  
præter maiorem. Quæ sic probatur: nam agens  
illud, quod est in potentia passiva ad suam  
actionem, indiget moveri ab aliquo movente,  
quod semper sit in actu, & nunquam in poten-  
tia, quale est Deus; sed voluntas creatæ, adhuc  
suppositis omnibus requisitis ex parte actus pri-  
mi, est in potentia passiva ad suam operationem,  
cum sit in potentia ad eam recipiendam:  
ergo voluntas creatæ, suppositis omnibus re-  
quisitis ex parte actus primi, indiget motione  
physica primi agentis, vt actu operetur: Maior  
probatur: nam nulla potentia passiva potest seip-  
sam reducere activè ad actum: quia nemo po-  
tèst dare sibi ipsi, quod actu non habet, & po-  
tentia passiva ad actionem non habet illam actu:  
ergo indiget moveri ab alio agente præcipuè à  
Deo.

Et confirmatur hæc ratio nonnullis testi-  
monijs D. Thom. Nam quæst. 3. de Pot. art. 7.  
vbi, referens modos quibus Deus operatur in  
causis secundis, ponit primum, consistentem  
in eo quod dat eis virtutes, per quas agere pos-  
sunt: secundum consistentem in eo, quod tales  
virtutes conservat. Et ad tertium deveniens sic  
ait: *Tertio modo dicitur una res esse causa  
actionis alterius, in quantum movet eam ad  
agendum; in quo non intelligitur collatio, aut*

con-

## Dub. II. In quo consistat auxilium, seu gratia efficaciam?

*conservatio virtutis activæ, sed applicatio  
virtutis ad actionem.* Idem tradit 1. part. quæst.  
105. art. 5. vbi adducit prædictos tres modos,  
quibus Deus operatur in causis secundis, quos-  
que breviter recenset ad 3. his verbis: *Dicen-  
dum, quod Deus non solum dat formas rebus,  
sed etiam conservat eas in esse, & applicat  
eas ad agendum.* Idipsum colligitur ex his, quæ  
tradit 1. 2. quæst. 109. art. 1. vbi inquit: *Quan-  
tuncunque natura aliqua corporalis, vel  
spiritualis ponatur perfecta, non potest  
in suum actum procedere, nisi moveatur à  
Deo.* Ex quo inferit, quod ad cognitionem cu-  
iuscunque veri homo indiget auxilio divino,  
vt intellectus moveatur à Deo ad suum actum.  
Quibus verbis motus docet art. 9. quod homo  
ad operandum opera meritoria vite æternæ  
præter gratiam habitualement, & virtutes non in-  
diget, vt eleveur, alio habitu infuso: *Indiget  
tamen auxilio gratiæ secundum alium modum,  
vt scilicet à Deo moveatur ad rectè agendum.*  
Et hoc propter duo. Primò quidem ratione ge-  
nerali, propter hoc quod, sicut superadditum  
est, nulla res creata potest inquantumque actum  
prodræ nisi virtute motionis divinæ. Tandem  
ad rationem propositam proximè accedens 1.  
Contra gent. cap. 13. hæc habet: *Nihil idem  
est simul in actu, & in potentia respectu eius-  
dem: sed omne quod movetur, in quantum hu-  
iusmodi, est in potentia.* Omne autem, quod  
movet, est in actu in quantum huiusmodi: quia  
nihil agit, nisi in quantum est in actu: ergo nihil  
est respectu eiusdem actu movens, & motum, &  
sic nihil movet seipsum. Idem tradit 1. part. quæst.  
2. art. 3.

15 Respondebis primò rationi, quod licet  
repugnet, idem respectu eiusdem esse in actu  
formali, & potentia formali; non tamen re-  
pugnat, quod sit in actu virtuali, & potentia  
formali. Unde licet potentia, qua parte est  
passiva, non possit se movere, & reducere in  
actum secundum, bene tamen qua parte est acti-  
va, quia continet illum per modum agentis aequi-  
voci.

Confirmationi respondebis primò, Div. Thom.  
in omnibus prædictis testimonijs, & alijs tantum  
loqui de motione morali.

Solutio adhibita rationi iam prævisa est,  
& satis solidè impugnata à NN. Complut. ab-  
brevis. in lib. Physic. disp. 26. dub. 1. à num. 2.  
& in illo dubio ratio nostra à præcipuis instantijs  
vindicator.

Solutio adhibita confirmationi impugna-  
tur ex D. Thom. Nam motio moralis non ha-  
bet locum in omnibus causis secundis; sed Div.  
Thom. loquitur de motione voluntatis titulo  
generali cause secundæ: ergo D. Thomas non  
debet intelligi de motione præcisè morali. Minor  
habetur expressa 1. 2. quæst. 109. art. 9. supra  
citato.

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

16 Respondebis secundò, rationem, &  
confirmationem debere intelligi de agente,  
quod est in potentia per modum naturæ, & ex  
defectu virtutis, sicut verò de agente libero,  
quando habet omnia prærequisita tam ex parte  
sui, quam ex parte intellectus ad operan-  
dum.

Contra est primò. Nam D. Thom. in præ-  
dictis testimonijs aperte loquitur de omni agen-  
te creato constituto sufficienter in actu primo  
per virtutem, qua agere possit, & quæ à Deo  
conservatur, atque, vterius indigere motione  
physica Dei, in qua non intelligitur collatio,  
aut conservatio virtutis activæ, sed applica-  
tio virtutis ad actionem: ergo ratio nostra, &  
confirmatio explicantur contra expressam men-  
tem D. Thom. si intelligantur de motione per  
collationem virtutis. ¶ Secundò. Nam in præ-  
dicto loco ex 1. 2. art. 9. determinatè loquitur  
D. Thom. de agente libero vt libero, cum lo-  
quatur de motione requisita ad merendum, lo-  
quitur insuper de illo, prout habet gratiam, &  
cæteras virtutes constituentes in actu primo  
perfecto: & de eo sic elevatum ait indigere vterius  
auxilio gratiæ secundum alium modum, vt  
scilicet à Deo moveatur ad rectè agendum:  
ergo per collationem virtutis non salutarè iux-  
ta D. Thom. motio adæquata ex parte Dei.  
¶ Tertio. Voluntas creatæ, postquam habet  
omnia requisita ad operandum tam ex parte sui,  
quam ex parte cognitionis seu obiecti, adhuc  
est in potentia passiva ad sui operationem, si-  
quidem illam recipit formaliter; sed repugnat  
idem esse agens, & patiens, movens, & motum  
respectu eiusdem, quia repugnat idem dicere re-  
lationem realem ad seipsum; quod certò con-  
tingeret, cum omne motum in quantum tale dicat  
relationem realem ad movens in quantum mo-  
vens: ergo.

17 Respondebis tertio, quod licet Div.  
Thom. loquatur de voluntate creatæ, dum ope-  
ratur sine rationis consilio, vt dum movetur  
ad primam intentionem finis, & ad volitionem  
boni in communi; non tamen loquitur de ea,  
dum procedit per rationis consilium ad eligenda  
bona particularia. Et iuxta hæc salvatur sus-  
ficiens distinctio inter agens, & motum: siquid-  
em per illam primam intentionem finis movetur,  
& per electionem movetur. Quæ solutio sum-  
datur in expressa doctrina D. Thom. 1. 2. quæst.  
9. art. 4. in corp. vbi adducit rationem nostræ  
conclusionis, incipiens his verbis: *Omne enim,  
quod quandoque est agens in actu, & quando-  
que in potentia, indiget moveri ab aliquo mo-  
vente: scilicet exteriori, vt ibi concludit, & vbi  
doctrinam prædictam assert ad vitandum præces-  
sum in infinitum, & inconveniens pro ratione ad-  
ductum.*

Sed contra est primò: Nam iuxta hanc  
solutionem iam conceditur, quod suppositis

Oo 2

om.

omnibus requisitis ex parte actus primi, necessaria est applicatio ex se efficax ex parte Dei ad eliciendam, & recipiendam primam actionem voluntatis; sed huiusmodi actio, licet non sit deliberata, est tamen libera: ergo iam conceditur præmotio Dei physica ab intrinseco efficax ad aliquam actionem liberam. ¶ *Secundò.* Nam sicut voluntas, suppositis omnibus prærequisitis ad primam volitionem, & intentionem finis, est partim in actu, & partim in potentia passiva in ordine ad illam, ita supposita intentione finis est etiam in potentia passiva ad electionem mediorum, & sicut ex se est indifferens ad intentionem finis, & illius carentiam, ita supposita intentione finis est indifferens ad electionem mediorum: intentio enim finis est vnum ex prærequisitis ex parte actus primi ad electionem relinquens voluntatem in potentia, & cum omnimoda indifferentia ad eam, maxime in sententia adversariorum; sed quia voluntas est indifferens, & in potentia passiva ad primam volitionem, & intentionem finis, indiget motione Dei ex se, & ab intrinseco efficaci ad eam eliciendam: ergo pariter indiget ea ad electionem, & consequenter ad omnes suos actus, sive liberos, sive necessarios, sive naturales, sive supernaturales.

18 Respondetis vitio, verum esse, quod voluntas movetur à Deo, dum operatur, sed non per concursum ex se efficacem, applicativum, & prævium, sed præcisè per concursum simultaneum, quo coëfficit ipsam operationem receptam in voluntate, & consequenter illam per eam movet. Unde adversarij nullam aliam motionem recognoscunt ex parte Dei præter prædictum concursum, postquam omnis causa creata est potens proximè ad agendum.

Contrà est primò. Nam iuxta D. Thom. omne agens creatum titulo *agentis creati* indiget motione Dei, suppositis omnibus prærequisitis ad agendum, vt constat ex testimonijs adductis num. 14, sed agens creatum multoties agit, quin moveatur per actionem, vt dum operatur per actionem transeuntem, quæ iuxta nostram sententiam, & potissimè iuxta adversarios non recipitur in agente, sed in passivo: ergo motio Dei non rectè explicatur præcisè per concursum simultaneum. ¶ *Secundò.* Nam iuxta eundem D. Thom. voluntas, suppositis omnibus requisitis ad agendum, vterius indiget concursu physico Dei applicante illam ad agendum; sed quamvis moveatur à Deo concausante suam actionem, & in illa receptam, per concursum simultaneum, nullatenus applicat illam ad agendum, aliàs esset prævius: ergo præter concursum prævium præparantem, & conservantem esse, & virtutem proximam operandi, & præter concursum simultaneum, quo Deus dat operationem, requiritur alius concursus physicus prævius præmovens, & applicans vo-

luntatem ad agendum. ¶ *Tertiò.* Nam talis motio requiritur ex parte Dei, quæ sufficiens sit, ne dicatur, quod voluntas est movens, & motum respectu eiusdem; sed per concursum simultaneum non tollitur, quod voluntas cum omnibus requisitis ad agendum sit movens, & mota respectu eiusdem: ergo præter illum concedendus omnino est alius concursus prævius. Minor probatur: nam imprimis voluntas est mota per actionem: deinde concursus simultaneus non dat, quod moveat, aliàs esset concursus prævius: ergo per concursum simultaneum non tollitur, quod voluntas sit movens, & mota respectu eiusdem. ¶ *Quartò.* Nam iuxta D. Thom. 4. Metaphys. text. 23. *Illud, quod movet aliud, est prius natura moto:* Et 3. Contra gent. cap. 149. *Motio moventis præcedit motum mobilis, ratione, & causa;* sed hæc nequeunt verificari per concursum simultaneum: tum generali ratione concursus simultanei, siquidem hic non præcedit natura, & causalitate concursum, & motum alterius concausæ: tum, & præcipue, quia concursus simultaneus Dei in sententia adversariorum distinguitur à concursu creaturæ, cum iuxta illos Deus agit per actionem transeuntem, & receptam in voluntate: ergo vt salvetur prioritas, & causalitas motionis Dei respectu motionis creaturæ non sufficit concursus simultaneus, sed requiritur concursus prævius.

19 Obijcies tamèn contra prædictam rationem. Sicut voluntas non movet nisi vt mota à Deo, ita non movet nisi vt mota à fine; & tamen non movetur à fine motione prævia, & distincta à motione voluntatis: ergo quamvis voluntas non moveat, nisi vt mota à Deo, non sequitur, quod moveatur à Deo motione prævia, & distincta à motione voluntatis.

Hæc obiecto prævisa fuit à NN. Complut. abbrev. in lib. Phys. disp. 14. num. 20. Et imprimis parùm, acat nihil faveat adversarijs: quia licet finis moveat voluntatem per ipsissimam motionem voluntatis, ipsa tamen motio voluntatis prout à fine intelligitur absolute, & simpliciter prior seipsa prout à voluntate, quia finis est primum movens immobile respectu voluntatis, vt sæpè docet D. Thom. cum Philosopho, & videri possunt præcitati PP. Complut. loco citato, & disp. seq. dub. 1. & 2. Motio verò voluntatis in actu secundo, & distincta à motione conferente virtutem agendi, prout est à Deo, non intelligitur prior absolute & simpliciter seipsa, prout à voluntate, aliàs esset prævia, & prius moveretur & determinaretur à Deo ad agendum, quam à seipsa, quod perpetuò negant adversarij fatentes, quod concursus Dei determinatur à concursu creaturæ.

Deinde responderetur concedendo præmissas; & negando consequentiam, propter notabilem

bilem disparitatem inter voluntatem vt motam à fine, & vt motam à Deo. Nam finis, & voluntas concurrunt ad eandem motionem in diverso genere causæ, videlicet in genere causæ efficientis, & finalis, & propterea eadem motio potest correspondere voluntati, & fini: sicut ob similem rationem eadem indivisibilis vno correspondet materiæ, & formæ. Item finis movet voluntatem quoad specificationem ad sui amorem, & voluntas movet se ad prædictum amorem, & per prædictum amorem quoad exercitium: & nullum inconueniens datur in eo, quod eadem indivisibilis motio amoris dependeat ab vna causâ quoad specificationem, & ab alia quoad exercitium: quinimò est valde consentaneum naturis rerum. Cæterum motio Dei præcedit motionem voluntatis in eodem genere causæ efficientis, & quoad exercitium, quo voluntas causat eandem motionem: & propter hoc repugnat, quod motio Dei actiua non distingatur realiter à motione actiua, & passiva ipsius voluntatis. Et ratio est: quia si motio Dei actiua præcedit motionem voluntatis actiivam in genere causæ efficientis, & quoad exercitium, Deus per suam motionem actiivam dat voluntati suam motionem, illamque causat realiter non solum per suam omnipotentiam, sed etiam per suam actionem: quod fieri non potest, quin actio Dei sit prævia, & distincta ab actione voluntatis.

## §. II.

## Alia ratio pro eadem conclusione.

20 **S**ecundò probatur eadem conclusio ratione: Deus est causa non solum effectiua, sed etiam determinans nostrum consensum liberum salutarem; sed per gratiam ex natura sua & entitative indifferenter nequit determinare nostrum consensum liberum salutarem: ergo determinat illum per gratiam ab intrinseco & entitative efficacem. Omnia constant præter maiorem. Quæ probatur primò: nam Deus efficit nostrum consensum liberum salutarem per actionem ab eo realiter indistinctam: ergo est causa non solum efficiens, sed etiam determinans nostrum consensum liberum salutarem. Consequentia liquet: quia supposito, quod Deus agat nostrum consensum per actionem ab eo realiter indistinctam, illum præcedit realiter natura, & causalitate, ideoque concursus divinus non determinatur à concursu nostro, sed e converso, vt persè patet. Antecedens verò probatur: tum ex D. Thom. 2. Contra gent. cap. 23. rat. 4. ubi ait: *Divina autem actio non potest esse de genere illarum actionum, quæ non sunt in agente, cum sua actio sit sua substantia* &c. Et cap. 31. rat. 3. *Ostensum*

*est supra, quod Deus non agit aliqua actione, quæ sit extra ipsum* &c. Tum etiam: nam omnis potentia est propter suam primariam operationem, ab illaque specificatur; sed repugnat, potentiam aliquam divinam specificari ab actione creata, seu ab aliquo quod non sit identificatum cum Deo: ergo repugnat, quod Deus agat consensum salutarem per actionem realiter distinctam ab eo. Quæ de causâ moti docuimus tract. 3. disp. 2. à num. 69. cum communi sensu Thomistarum, omnipotentiam non esse potentiam virtualiter distinctam à linea intellectiva, & volitiva, eiusque agere ad extra esse intelligere & velle Dei.

Probatur secundo eadem maior: Deus immediatè efficit, voluntatem creatam se determinare ad consensum, seu per consensum salutarem; sed hoc nihil aliud est, quam Deum esse non solum causam efficientem, sed etiam determinantem nostrum consensum salutarem: ergo Deus est causa determinans nostrum consensum salutarem. Minor cum consequentia videtur certa: nam facere Deum voluntatem nostram se determinare, nihil aliud est, nisi Deum prius determinare, quam voluntatem se determinare, vt ex terminis liquet. Maior verò probatur: nam voluntatem creatam se determinare est effectus immediatus Dei, cum nihil sit creatum, quod non sit effectus immediatus Deitæ: ergo Deus immediatè efficit voluntatem creatam se determinare per consensum salutarem.

Probatur tertio eadem maior: Nam si Deus non esset causa determinans nostrum consensum salutarem, voluntas creata esset primum se determinans ad illum, primaque causa in ratione determinantis, vt ex se liquet; sed hoc non potest admitti: ergo Deus non solum est causa efficiens, sed etiam determinans nostrum consensum salutarem. Minor probatur: nam voluntatem creatam esse primum se determinans, primaque causam in ratione determinantis idem est, ac se determinare sine subordinatione ad Deum: nam contra rationem cause primæ vt talis est dicere subordinationem ad aliam; sed nequit admitti, quod voluntas creata in ratione determinantis Deo non subordinetur: ergo nec potest admitti, quod sit primum se determinans ad consensum salutarem, primaque causa illius in ratione determinantis.

Confirmatur primò. Nam à causa creatâ ex se contingente, & indifferente, in quantum indifferens est, non procedit effectus determinatus, nisi ab alia causa determinetur ad vnum; sed voluntas creata est causa creata ex se contingens & indifferens ad consensum salutarem, & carentiam eius, seu dissenfum, sub circumstantijs tam intrinsecis suarum dispositionum, quam extrinsecis aliarum causarum creaturarum: ergo

ergo ab ea non procedit consensus potius, quam dissensus, nisi à causa prima determinetur ad consensum. Maior probatur nonnullis testimonijs D. Thom. nam 1. part. quest. 19. art. 3. ad 5. ait: *Causa, quæ est ex se contingens, oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum.* Et 2. Physic. text. 48. inquit: *Ab eo, quod est ad utrumlibet, non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclinatur ad unum.* Idipsum pronuntiat. 3. Contra gent. cap. 2. sub his verbis: *Quod autem indifferenter se habet ad multa, non magis unum eorum operatur, quam aliud. Unde à contingente ad utrumque non sequitur aliquis effectus, nisi per aliquid, quo determinetur ad unum: ergo.*

Confirmatur secundo ex illo Apost. 1. ad Corinth. 4. ubi dicitur: *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti?* Ubi supponit Apost. Deum principaliter discernere eum, qui consentit ab eo, qui non consentit salutari-ter; & eum, qui consentit, recipere à Deo principaliter consensum; sed hoc est Deum determinare ad consensum salutarem hominem ex se indifferentem ad consensum, & dissensum: ergo Deus est causa non solum efficiens, sed etiam determinans nostrum consensum salutarem. Minor probatur: nam idem est hominem formaliter discerni per consensum, & habere ipsum consensum, ac formaliter determinari per consensum: ergo idem erit Deum effectivè principaliter discernere, & causare consensum, ac effectivè principaliter determinare per consensum.

Confirmatur tertio. Nam in aliquo sensu absoluto verum est, consensum salutarem non esse hominis volentis, sed Dei miserentis, iuxta illud Apost. ad Rom. 9. *Neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei;* sed in nullo sensu absoluto verum est, consensum salutarem esse Dei miserentis, & non hominis volentis, si non proveniat ex voluntate Dei determinante voluntatem ad ipsum consensum: ergo Deus non solum est causa efficiens nostrum consensum, sed etiam determinans illum effectivè. Minor probatur: nam imprimis illa sententia Apost. non est vera præcisè, quia sola voluntas hominis sufficit ad consensum salutarem, sed necessaria est etiam misericordia Dei: nam, ut inquit August. in Enchirid. cap. 32. *Cur non e contrario dicitur rectè, Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordiam Dei sola non implet?* Deinde non est vera per hoc, quòd misericordia Dei concurrat principaliter: tum quia iam etsi minus principaliter esset hominis volentis, quod negat Apost. Tum quia voluntas hominis principaliter concurreret, nam determinaret misericordiam Dei, & non e converso, proindeque verum, esset, quòd non est Dei miserentis, sed hominis volentis. Ergo sen-

tentia Apost. in nullo sensu potest verificari, nisi consensus proveniat ex misericordia Dei determinante pro priori ad determinationem voluntatis humanæ.

21 Rationi respondent Adversarij, constanter negando maiorem. Cuius primam probationem non minus constanter negant, existimantes Deum non operari ad extrà per actionem formaliter immanentem, maxime ad actiones liberas nostras. Nec contrarius (dicunt) est Div. Thom. Nam intelligendus est de actionibus intellectus & voluntatis, non de actionibus omnipotentis. Vel si loquatur de actionibus omnipotentis, intelligendus est de actione tantum creativa: vel ad summum de actionibus, quibus concurrunt causa necessarij. ¶ Non magis urget ratio in eadem prima probatione adducta. Siquidem tunc verum est, potentiam esse propter suam operationem, ordinari ad eam, ab eaque specificari, quando perficitur per illam: quod de operatione Dei elicite nostros liberos actus verificari non valet, cum sit actualitas extrinseca omnipotentis: ob quam rationem nullatenus concedunt Thomistæ, omnipotentiam perfecti à termino primario illius.

Secundæ probationi respondent, negando maiorem. Nec illam convincit probatio: Nam aliud est, quòd voluntatis creatæ determinatio sit effectus immediatus Dei; aliud verò, quòd concursus Dei faciat voluntatem creatam se determinare. Primum est verum, & ab omnibus admittendum contra Durandum: ad quod præter concursum preparativum causarum sufficit concursus simultaneus Dei. Secundum verò est falsum: quia destrueret libertatem creatam.

Tertiæ probationi respondent, negando sequelam. Nam illud est principium simpliciter primum se determinans, quod determinat se independentem ab alio tribuente virtutem se determinandi, coefficientisque secum determinationem eandem actualem. Nam iuxta D. Thom. in 2. dist. 37. quest. & art. 2. primum principium simpliciter est, *Quod potest agere sine auxilio superioris agentis, & sine influentia eius.* Voluntas autem creata determinat se dependentem à Deo prius se determinante ad volitionem preparativam sui concursus cum ipsa ad amorem, vel odium, dependenter etiam ab eodem conferente virtutem, ut voluntas ipsa se determinet, & coefficiente cum ipsa vnum ex eis actibus. Et propterea non est simpliciter primum determinans: sicut non est simpliciter primum vivens, quamvis non supponat aliud movens se ab intrinseco & vivens per actionem, quæ ipsi est vitalis: quia virtutem se movendi habet acceptam à Deo, eamque exercet dependenter ab eius concursu.

Confirmationi primæ respondent, negan-

gando maiorem. Quia si causa est libera, prædica est cognitione indifferenti, habet præparatam omnipotentiam ad concurrentem cum ipsa, gaudetque reliquis prærequisitis constitutibus actum primum proximum. Probatio desumpta ex testimonijs D. Thom. intelligenda est de motione activa Dei, quæ fit de se indifferens ad utrumlibet, etsi cum maiori inclinatione ad bonum. Vel potest intelligi de motione quoad bonum in communi, ita ut voluntas se determinet ad bonum in particulari.

22 Confirmationi secundæ respondent primo, non agnoscentes in statu absoluto, sicut nec in conditionato aliquam discretionem, quæ fit talis in actu primo, & intrinseca, aut extrinseca consentienti, sed præcisè eam quæ consistit in ipso consensu. Huius autem discretionis, de qua Apost. loquitur, formalis causa est sola operatio bona: efficiens verò partialis, & magis principalis est gratia Dei, & minus principalis etiam partialis est liberum arbitrium per activitatem sibi imatam. Et propterea compescitur ab Apost. vanagloriatio hominis de suis viribus naturalibus, quia actus salutares requirunt concursum Dei principalis agentis per gratiam, quæ homini non debetur. Nunquam tamen concedunt, discretionem, seu determinationem formalem esse à Deo, ut determinante voluntatem ad consensum, etsi proveniat ab ipso Deo principali agente per gratiam; sicut actus charitatis principaliter est ab habitu charitatis, sed non tanquam à determinante.

Iuxta quam solutionem respondent ad tertiam confirmationem, Apostolum dicentem, *neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei,* intelligi, quatenus Deus principaliter præ voluntate creata agit consensum salutarem; quin excludat, quòd sit etiam aliqua ratione hominis volentis, & currentis. Unde non est necesse, quòd procedat ex misericordia Dei determinante.

23 Eidem secundæ confirmationi respondent secundo, concedentes in statu absoluto discretionem consentientis in actu primo, ei extrinsecam. Sed hac discretionem in actu primo supposita, adhuc negant, Deum effectivè determinare per gratiam: quia hæc non est ex se efficax, sed indifferens ad congruitatem, & incongruitatem, ad efficaciam, & inefficaciam. Redditur tamen efficax, & congrua in actu primo in consentiente per exercitium conditionatum suæ libertatis pravium per scientiam mediam, inferensque infallibiliter consensum. Unde stat optimè, quòd detur talis discretio in actu primo, & quòd consensus non procedat à Deo simpliciter determinante: nam qua parte prædicta gratia est congrua, & efficax in actu primo, seu pro priori ad consensum absolutum, discernit consentientem à non consentien-

te pro priori ad illum, proindeque talis discretio procedit à Deo independentem simpliciter à voluntate consentientis, seu in statu absoluto, dependens ab ea tantum secundum quid, seu in statu conditionato. Et qua parte ex se & entitativè est indifferens, ipsa non determinat simpliciter voluntatem ad consensum, sed potius determinatur à voluntate consentientis.

Et iuxta eandem solutionem respondent ad tertiam confirmationem, concedendo maiorem; & negando minorem. Nam optimè stat, quòd gratia congrua & efficax in actu primo sit à sola Dei misericordia, in quo sensu loquitur Apost. dum ait, *neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei;* & quòd Deus per prædictam gratiam non determinet voluntatem ad consensum, quia ex se & entitativè est indifferens, licet supposita scientia media inferat infallibiliter consensum.

## §. III.

## Relectio præcedentium solutionum.

24 SED contra præfatas solutiones sic insurgo. Et imprimis contra evasionem datam rationi, & prima eius probationi est: Nam de operationibus, quibus omnipotentia proximè concurrat ad creandum, seu cum causis secundis necessarijs, nequit verificari, quòd sunt in se quid creatum, & formaliter transiens in se: ergo nec de operationibus, quibus omnipotentia ipsa concurrat cum causis liberis. Antecedens probatur (deinde probanda consequ.) Tum quia D. Thom. locis adductis in prima probatione nostræ rationis loquitur generaliter, & sine vlla exceptione. Tum etiam nam quest. 3. de Potent. art. 3. loquens determinationem de actione creativa, sic ait: *Creatio potest sumi activè, & passivè: si sumatur activè, sic designat Dei actionem, quæ est eius essentia cum relatione ad creaturas.* Quid clarius? Tum deinde: nam si Deus crearet, & operaretur cum causis secundis per actionem à se realiter distinctam, omnipotentia haberet realiter rationem potentis non solum respectu effectus, sed etiam respectu actionis, quia eadem ratio esset respectu virtutis propter distinctionem realem virtutis ab ea; sed hoc est expressè contra D. Thom. 1. part. quest. 24. art. 1. ad 3. sic differentem: *Potentia in rebus creatis non solum est principium actionis, sed etiam effectus. Sic igitur in Deo salvatur ratio potentis quantum ad hoc, quòd est principium effectus, non autem quantum ad hoc, quòd est principium actionis; quæ est divina essentia.* Tum denique: nam actio distincta realiter à potentia est nobilior quam potentia, ut tradit D. Thom. loco proximè relato 1. part. ad 2. sed repugnat, aliquid creatum esse nobilior Deo potentia.

potentia: ergo repugnat Deum creare, aut concurrere cum causis necessarijs per actionem à se realiter distinctam.

Roboratur hæc vltima probatio, & simul refellitur difformitas infirmatum in prædicta evasione inter potentiam operantem per actionem immanentem, & potentiam operantem per actionem formaliter transeuntem. Nam in causis creatis potentia immediate operativa, & formaliter transiens, quamvis non recipiat suam operationem, nec perficiatur per eam, specificatur tamen ab ea specificatione sibi possibili: ergo omnipotentia vnicè operaretur per operationem formaliter transeuntem, & creatam, specificaretur per ordinem ad eam, modo quo potentia creata transiens specificatur à sua operatione; sed hoc repugnat, quia nihil creatum potest esse mensura adhuc extrinseca alicuius formalitatis divinæ, cum omnis mensura in quantum talis sit perfectior mensurato: ergo repugnat omnipotentiam operari vnicè per actionem formaliter transeuntem. Antecedens potius debet supponi, quam probari: quia de ratione potentie immediate operative est recipere persè primò suam operationem, & consequenter specificari ab ea. Ob quam rationem potentia immanens specificatur ab operatione immanenti: cum hoc tantum discrimine, quòd hæc insuper perficitur intrinsece ab operatione; & illa tantum extrinsece modo infirmato.

Id, quòd additur de termino primario omnipotentie, falsò imponitur Thomistis, qui nec per forum dicunt, omnipotentiam respicere effectus creatos tanquam terminum absolute primarium: cum omnes affirmant non esse potentiam adæquatè diversam ab intellectu, & voluntate: ac proinde tenentur dicere, quòd obiectum primarium adæquatum illius est sola essentia divina, licet per quandam extensionem secundariam, & practicam sit productiva creaturarum. Unde vnicè, & adæquata mensura illius est eadem essentia divina.

Hinc iam probatur (vt promissimus) efficaciter prima illa consequentia: Nam Deus per eandem indivisibilem potentiam tam formaliter, quam virtualiter producit omnes effectus creatos: ergo si creando operatur per actionem formaliter immanentem, etiam per actionem formaliter immanentem debet producere nostros liberos actus. Probatur consequentia: nam sicut eadem operatio nequit sive in nobis, sive in Deo esse vitalis, & non vitalis, ita eadem potentia nequit esse vitalis, & non vitalis; sed potentia operans per actionem immanentem est vitalis, & e conversò non est vitalis, quæ operatur per actionem formaliter transeuntem: ergo si in Deo non datur nisi vna potentia indivisibilis ad extrà, nullum effectum potest producere per actionem formaliter transeuntem.

25. Evasio prædicta secundæ probationi sa-

tis efficaciter refellitur à NN. Complut, tam antiquis disp. 11. à num. 25. quam abbrev. in Phys. disp. item 11. à num. 7. nam non solum determinatio, causa secunda secundum se, est effectus immediatus causæ primæ; sed etiam eadem determinatio prout à causa secunda; sed nequit secundum hæc formalitatem à Deo procedere immediate, nisi concursus Dei faciat causam secundam se determinare: ergo Deus non solum est causa immediata producens nostram determinationem, sed etiam facit immediate, quòd nostra voluntas se determinet. Maior videtur certa: tum quia nulla est formalitas creata realis de genere boni tam physice, quam moralis, que non dependeat à Deo immediate, & quòd non sit à Deo immediate participata; cum Deo respondeat vt proprius terminus ratio universalissima entis, sub qua comprehenditur omnis formalitas præscripta. Tum etiam: nam si Deus non concurreret immediate in prædictam formalitatem, solum concurreret in illam remotè, videlicet quatenus dedit omnia prærequisita constituenta actum primum tam radicalem, quam proximum, eaque conservat: quòd est incidere in sententiam Durandi saltem quoad hæc formalitatem.

Minor verò probatur: Quia nequit Deus esse causa immediata determinationis creaturæ prout à creatura, quin habeat prioritatem causalitatis respectu creaturæ vt actu causantis, ita ut totum hoc complexum creaturæ vt actu causantem, seu voluntatem creatam vt actu se determinantem, sit effectus immediatus Dei; sed concursus Dei nequit importare prioritatem causalitatis immediate respectu creaturæ vt actu causantis, quin faciat immediate voluntatem creatam se determinare, vt concedunt adversarij: & meritò, nam in idem revera recidit, voluntatem creatam vt se determinantem dependere immediate à Deo, ac Deum facere, quòd voluntas creata se determinet: ergo si determinatio creaturæ, non solum secundum se, sed etiam reduplicative prout à causa secunda, est effectus immediatus Dei, ipse Deus immediate facit, vt faciamus. Et hoc vocamus *concursum prævium*, & *auxilium ab intrinseco efficax* respectu actum salutarium. Pro quo videatur, quæ diximus tract. 4. disp. 3. à num. 58. & quæ dicenda sunt §. 7.

26. Evasio adducta tertie probationi non minus efficaciter impugnatur. Nam quòd voluntas creata habeat à Deo virtutem se determinandi, non arguit, ipsum Deum determinare eandem voluntatem creatam ad consensum prædissensu, vt adversarij fatentur: item volitio preparativa Dei, vt concurrat eadem voluntate, quamvis procedat à Deo prius se determinante ad sui concursum, non tamen est determinatio ad consensum prædissensu, sed potius est preparatio concursus determinandi à volun-

voluntate creata, vt etiam concedunt idem adversarij: ex quo sequitur, Deum efficientem determinationem voluntatis creatæ non illam determinare: ergo voluntas creata est vnicum determinans consensum prædissensu: ergo est principium simpliciter primum in ratione determinantis. Probatur hæc vltima consequentia: nam si voluntas creata posset aliquam actionem producere, cuius Deus author non esset, quamvis non haberet esse à se, sed ab alio, haberet rationem principij simpliciter primi, vt tradit D. Thom. loco in evasione adducto: ergo pariter, si voluntas creata est vnicum determinans consensum prædissensu, habet rationem principij simpliciter primi in ratione determinantis, quamvis virtutem se determinandi haberet à Deo. Consequentia à paritate constat. Et antecedens probatur verbis formalibus Div. Thom. qui post verba in evasione relata statim subdit: *Unde si voluntas humana actionem aliquam posset producere, cuius auctor Deus non esset, voluntas humana rationem primi principij haberet. Quamvis solvere hoc nitantur dicentes, quòd voluntas etsi per se possit actionem producere sine influenza prioris agentis, non tamen habet à se esse, sed ab alio, quòd etiam exigeretur ad rationem primi principij (en evasione Adversariorum) Sed hoc videtur inconveniens.*

Nec refert, D. Thom. ad rationem primi principij petere, quòd actio procedat ab ea sine influenza primi agentis; cum tamen influentiam Dei in determinationem voluntatis creatæ non negent adversarij, sed cum omnibus Theologis concedant contra Durand. Non, inquam, reteret: Nam hæc influentia, quam adversarij admittunt, determinatur à creatura: ergo non impedit in creatura rationem, nedum determinantis simpliciter primi, sed nec rationem principij simpliciter primi; sed nec iuxta D. Thom. habere esse, seu virtutem ab alio tollit, quòd sit principium simpliciter primum: ergo de primo ad vicinum voluntas creata vel determinatur à Deo, vel est principium, & determinans simpliciter primum.

Adde primò. De ratione principij simpliciter primi est, vt agere possit sine influenza prioris agentis, vt ibidem docet D. Thom. sed iuxta adversarios influentia Dei immediata in consensum non constituit ipsum in ratione prioris agentis, cum in eorum sententia determinetur ab influenza voluntatis creatæ; & aliàs collatio auxilij seu virtutis potius pertinet ad lineam essendi, quam ad lineam principij actualiter operantis, quæ collatio virtutis iuxta eundem D. Thom. non tollit rationem principij simpliciter primi: ergo idem quòd prius.

Adde secundò. Nam, vt inquit D. Thom. ibidem; quòd à se esse non habet, à se agere non potest: sed voluntas creata habet virtutem

se determinandi à Deo: ergo, adhuc suppositæ virtute à Deo recepta, à se vnicè non habet se determinare.

Adde tertio ex D. Thom. ibidem, vbi subiungit: *Et propterea quamvis per hanc responsionem (quæ revera coincidit cum evasione adversariorum) evitaretur, quòd voluntas humana non esset primum simpliciter, non tamen posset vitari, quin esset primum agens, si eius actio in aliquid prius agens non reduceretur sicut in causam; sed hoc prius agens, de quo Div. Thom. non potest intelligi de priori agente conferente esse, & virtutem, quia ignis A conferens virtutem igni B non tollit, quòd ignis B sit primum agens calefactionis procedentis ab eo: ergo debet intelligi de priori agente conferente immediate operationem; sed actio determinatur ab agente, à quo prius immediate dependet: ergo vel concedendum est, voluntatem humanam esse agens primum simpliciter; vel negari non potest, quòd determinetur à Deo ad consensum prædissensu.*

Adde quarto. Si voluntatem humanam non posse consentire sine influenza Dei esset ratio sufficiens, nec dicitur principium simpliciter primum, primumque determinans, sequeretur, Deum concurrentem concursu simultaneo in operationem quamlibet creaturæ, & absolute in operationem nostram liberam & vitalem non esse principium simpliciter primum: quia Deus nequit concurrere concursu simultaneo sine influenza creaturæ, vt ex se liquet, neque absolute potest iuxta veriore sententiam se solo producere actionem liberam & vitalem sine influenza nostræ potentie vitalis; hoc non potest admitti: ergo quòd voluntas humana non possit consentire sine influenza Dei, non tollit, quòd sit principium simpliciter primum.

Adde quinto. Nam per evasione, quam impugnamus, non satis salvatur, quòd determinatio voluntatis creatæ, prout ab ipsa, procedat à Deo immediate: ergo saltem respectu huius formalitatis Deus non est agens simpliciter primum; hoc non potest admitti, aliàs recideretur in sententiam Durandi: ergo.

27. Deinde impugnatur evasio adhibita primæ confirmationi. Primò: quia in locis Div. Thomæ pro nobis adductis, præcipue 1. part. quæst. 19. art. 3. ad 5. intendit Angel. Doct. statuerè discrimen inter causam creatam vt indifferentem, & causam primam item indifferentem consistens in eo, quòd divina, vt potè prima, potest à se vnicè determinari, secus verò creata; sed voluntas creata, supposita omni præparatione omnipotentie, & omni motione Dei in ordine ad bona particularia excogitabili ab adversarijs, adhuc manet indifferens: ergo iuxta D. Thom. debet determinari ab alio, scilicet à Deo. *Roboratur*: Nam causa creata, dum-